



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Sect. 3. Admiranda Principatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

aliquando oblimantur, aliquando laxantur. In eodem pisces nascuntur cum 8. pinnis, cum alibi tantum quatuor habeant, quarum meminit Plinius, & eas auctor confirmat *Leander Albertus in Latio.*

Fluuius malè à quibusdam Iouencus vocatus, olim Phitornius, per medium Fucinum ita decurrit, ut eius aquæ non misceantur stagno, quod olim Plinius, & Vibius Sequester obseruarunt. *Leander in Latio.*

Non procul ab oppido Cantalupo scatebra laticis, quem oleum petrinum vocant; hunc indigenæ colligunt diligentissimè ob virtutem medicam. *Leander in Peligni.*

Ad fontem Aterni fluminis *Pescara*, non procul à Monte Regali Pirus colli innata ita fastigiata, ut pluuia in hanc cadens triplici diuisione labatur in tria ingentia flumina, tres diuersas regiones petentia; sunt porrò hi fluuij Velinus, Truentus, & Aternus, *Velino, Tronto, Pescara. Leander in Vestinis.*

### SECTIO 3. Admiranda Principatus.

AD Montem Virginis cœnobium est in quo omninò carnibus, atque lactariis vesci nefas est: & cum eò inferuntur illiusmodi edulia mox vermibus aiunt scatere, haud sanè præter miraculum. *Leander in Samnitibus.*

AD urbem Oliuetum riuulus *Piceglia* dictus, intra anni spatium in lapidem vertit, quidquid lignorum in eum ceciderit. *Scipio Mazzella de Regno Neapolitano.*

In ventre collis cui insidet vrbs prædicta, sæpissimè audiuntur ingentia murmura, & aliquando aliquid aquæ sulphuræ erumpit. *Idem Scipio & Leander.*

Non longè à Frigento, hodie *Fricento*, visitur locus nemoribus præcinctus, vbi spiracula tam tetrum odorem efflant, ut animalia admora eneent. Locus ab indigenis etiamnum vocatur *Ampsancti*, ut vult Floridus, ut Parrhasius *Mephitis*. *Floridus 2. successuarum cap. 18. & Parrhasius, ex quibus Lacerda.*

Quæcumque folia, vel virgulta cadunt in Silarum fluuium lapidescunt, seruatâ priori formâ, & pristino colore. *Leander, & omnes reliqui Geographi.*

Amalphis ciuitas seruat ossa S. Andreæ, ex quibus perpetuus

QQQqqq iij

liquor exsudat (Manna vocant indigenæ) idque Sacerdos sacris penetralibus custos præpositus assiduè peregrinis distribuit. *Leander, & omnes Amalphitani.*

Salerni in Monasterio Patrum Dominicanorum campana pendet, quæ dum sponte sonat, mortem alicuius fratris ex hoc cœnobio certissimam præcinit. *Angelus de Rocca.*

SECTIO 4. *Admiranda Apulia.*

BARI in Apuliâ seruat corpus S. Nicolai Myrensis Episcopi, ex quo liquor mirabilis. (Manna vulgè vocant) assiduè profluit. Quod miraculum se suis oculis ait vidisse *Leander Albertus in Apuliâ Peucetiâ.*

In Monte S. Angeli, seu Gargani lucus, seu sylva, extra quam ne frutex quidem promicat, & videtur mirum tot, & tam ingentes arbores, hîc in viuum saxum radices egisse. *Leander in Apuliâ Daunîâ.*

Narrant indigenæ anno Christi 1494. vnum ex militibus Caroli VIII. Gallorum Regis, aliquam ex illis arboribus cecidisse, eumque diuinitus illato supplicio statim exanimem cecidisse. *Leander eodem loco.*

SECTIO 5. *Admiranda Calabria.*

HODIE si fila sericea Crathidis aquâ abluantur, candidiora fiunt, si autem Buxento fluuio intingantur fuscum colorem accipiunt. *Leander in Magnâ Græciâ.*

Cis fluuium Alecem etiam in præsentîâ vocaliores sunt Cicadæ, quàm trans eiusdem fluuij ripam. Cuius rei causa videtur esse, quod cis illum fluuium maiori Solis ardore torreantur Cicadæ; at id fert natura Cicadarum, vt ibi acrius strideant, vbi vehementius æstuant. *Idem Leander in Magnâ Græciâ.*

SECTIO 6. *Admiranda minorum Insularum ad Regnum Neapolitanum.*

IN Insulis *di Tremiti*, volucres picarum instar dentibus armatæ, voce propè humanâ, oculis ardentibus, ventre candido, alis fer-